

proximus est heres predictæ puellæ, vt coram nobis declaratum est sufficienter, vos studiosius deprecamur, quatenus prefatum dominum Thidericum ad consecutionem predictorum reddituum plenariam dignemini promouere nostri causa seruitutis, securum quidem ac firmum ad nos respectum habituri, quod postquam idem dominus Thidericus prefatos redditus consecutus fuerit aut pecunia inde proueniens sibi virtute presencium nostrarum litterarum presentata fuerit, nulla actio vel monicio posterior subsequetur, sed vos et dictorum bonorum erogatores quiti permanebitis et soluti. Volentes quidem vos indempnes preseruare a nostris ciuibus, competentem recepimus caucionem de premissis. In euidens ergo testimonium premissorum sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum anno Domini m^occc^ol^o quinto in vigilia Bartholomei apostoli gloriosi.

Sigill (stadsmur med port och tre torn): SECRETVM CIVIVM LVNDENSIVM.

5149.

1355 Sept. 7.

Vexiö.

Nils Dannes (Bjelke), Benkt Benktsson m. fl. tillkännagifva, att de godkânt änkan Ramfrids besittning af lösöret i 'Ballaby', hvilket tillfallit henne genom mannen Karl Tykessons testamente, samt af diverse annan egendom (jfr SD 5164).

L. Sparres afskr. saml. i Sv. Riksark., sign. J 6, f. 91 v.

Omnibus præsens scriptum cernentibus Nicholaus Dannes miles, Benedictus Benctsson, Arwidus Pethersson et Tuko fratres salutem in Domino sempiternam. Nouerint vniuersi nos anno Domini m(!) 1355 in profesto natiuitatis beatæ virginis cum venerabilibus dominis et viris discretis Halstano Pætharsson milite, Iacobo...¹⁾ Vexionensis, Petro Brynolphi canonico ibidem et Magno Gregorisson et aliis quam plurimis fidedignis in sacristia ecclesiæ Vexionensis conuense (o: conuentos) super negotiis nos et nobilem dominam Rangfridem, vxorem quondam domini Caroli Tukasson, tenentibus specialiter decremandis (o: decernendis) conuocatis(!), vbi negotiis nostris dominæ Ranfridi prædictæ plenarie expentis (o: expositis) nobis cum cognatis et amicis discrete respondebat, quare de discretione sua et petitione honorabilium dominorum et virorum præscriptorum legitime ipsæ Dominæ Ramfridhi asumsum (o: assumptum) nostrum et benevolentiam vnanimiter dedimus super bonis mobillibus in Ballaby, sibi per eundem dominum Carolum ratione testamenti collationis irrevocabiliter [donatis], et in quibuscunque rebus seu clenodiis fore dinoscuntur, sicut in litera super his confecta plenius continetur, addito, quod bona mobilia in bonis prædialibus ubicunque locorum sitis salua ex parte nostra teneat et intacta, de bonis empcionalibus per eundem dominum Karolum epçiti (o: emptis) tertiam partem percipiet, vbicunque huiusmodi bona inueniuntur, nisi (o: sicut?) per leges patriæ prædictam sufficimus defensare. In huius rei euidenciam sigilla nostra vna cum sigillo domini Halstani Pæthersson ex parte domini Gøstai Ambirzsson præsentibus sunt appensa. Datum Wexsiö die et anno supradictis.

Fyra sigill utmärkta, af hvilka endast de två första uppritas: n. 1 (två bjälkar; Sv. Sig. fr. Medelt. I, 3, 528): s' NICHOLAI DANNES; n. 2 (lejonansikte) BENEDICTI BNCTSON(!).

¹⁾ Här ett tomrum i handskriften.